



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Corollarivm I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

RATIONE AD EVCHARISTIAM SERMO

COROLLARIUM I.

Si Apostolus per ea uerba uellet nos probari a nobis, usque dum digni fieremus, prorsus ad impossibile nos obligasset, & omnes hoies, etiam sanctos comunione priuasset, Sibi denique ipse in pluribus locis contradixisset, ubi clamat, omnes esse peccatores, & sola fide iustificandos. Oportet enim accessurum ad sacramentum esse certissimum, se sine omni peccato mortali esse, si non uelit iudicium sumere. At impossibile est ut ex se & suis uiribus certus fiat, iuxta illud, Delicta quis intelligit? Et illud Hieremiae, Prauum & inscrutabile est cor hominis, quis scrutabitur illud? Ego dominus scrutans renes & corda. Relinquitur itaque certitudo illa, stet super firmam infallibilemque petram, id est, CHRISTVM, & uerbum eius.

COROLLARIUM II.

Quare uera & solida probatio est, si te inueneris inanem quidem & sine pondere salutis & iustitiae, onustum uero ac laborantem in multis malisque cupiditatibus, Quibus inuentis anhelus sitias gratiam & misericordiam, easque non dubites te te consecuturum. Sic beatus Gregorius reprehendens Petrum quod dominum iussisset exire a se, quia peccator esset, ait, Si te peccatorem agnoscis, non oportet repellere dominum a te sed multo magis inuitare. Et beatus Ambrosius, quia quotidie pecco, necesse habeo quotidie comunicare. Et quidam patrum consuluit, ne facile quis se abstineret a comunione, ne forte simul & longe fiat a CHRISTO. Non enim uenenum nobis dedisse ac reliquisse timendus est, Qui nouissimum ac maximum charitatis, quam ad peccatores gerit, memoriale, seipsum protestatur nobis reliquisse, dum institueret sacramentum illud.

Septimo, Si tandem adeo infirmus es in fide, ut nec illa te fatis iuuent, aut non possis ea praestare, apprehende illud nouissimum infirmorum remedium, & permitte te sicut infantem gestari in ulnis & sinu matris ecclesiae, immo cum paralytico in lectulo, ut dominus fidem illorum saltem intueatur, quando tua